



Heinrich Raspe

**Viro Amplissimo Ac Summe Colendo Francisco Volcmaro Fritzschio : Diem XVI.
M. Octobris A. MDCCCLXXVIII Quo Die Abhinc Annos Quinquaginta Munus
Professoris Academiae Rostochiensis**

Gustroviae: Literis Waltenbergianis, [1878?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1041124392>

Abstract: Gratulationsschrift der "Schola Cathedralis Gustroviensis" für Franz Volkmar Fritzsche, Rostock, anlässlich seines 50jährigen Prof.-Jubiläums am 16. Okt. 1878

Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

VIRO AMPLISSIMO AC SUMME COLENDO
FRANCISCO VOLCMARO FRITZSCHIO

DIEM XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXVIII

QUO DIE

ABIINC ANNOS QUINQUAGINTA
MUNUS PROFESSORIS ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

INGRESSUS EST

REVERENTER GRATULATUR

SCHOLA CATHEDRALIS GUSTROVIENSIS

INTERPRETE

G. C. H. RASPE.

ADDITA EST

COMMENTATIO DE VERSU 2. AJACIS SOPHOCLEI.



GUSTROVIAE
LITERIS WALTENBERGIANIS.



FRANCISCO VOLCMARO FRITZSCHIO

S.

G. C. H. RASPE.

Non saepe, credo, res humanae ferunt, ut seni praeceptoris senex discipulus quinquagenaria doctoris academici sollemnia gratuletur: nimirum non saepe fit, ut juvenis XXII. annorum munus professoris ordinarii adeat, vel ut quis in gymnasii cathedra ponatur, antequam aetatem militiae maturam adeptus sit. Talis autem nostra conditio erat; Tu vix XIX. annos natus liberalium artium magister in academia Lipsiensi fuisti, doctor privatus, scholae Thomanae collaborator primus; mox editis quaestionibus Lucianeis tantam ingenii atque doctrinae admirationem movisti, ut biennio post munere professoris in academia Rostochiensi ornareris; ego autem admodum adolescens in eadem academia literis operam navare coepi, in eaque statim a Te in sodales seminarii philologici ascitus permansi, donec me fata Gustavoviae detulerunt. Ita simul juvenes fuimus, senes facti sumus. Neque hoc nobis destinatum erat, ut huc illuc deducti in diversa parte terrarum vivendi cursum conficeremus: Tu noluisti Rostochium relinquere, neque ego Gustavoviae, quoniam ambo ibi ma-

nendum esse rati sumus, ubi bene sit, hoc est, ubi naturae nostrae convenienter et cum prospero eventu mentis vires exercendi data est copia. Igitur exiguo spatio discreti conjunctionem perpetuam tenuimus; nunquam quae inter nos intercedebant necessitudines laxatae sunt; Tu quam in me adolescentem contulisti benevolentiam summa cum fide seni conservasti, neque ego gratissimo boni discipuli animo in Te affectus esse unquam desii. Ac profecto ipse mihi contemnendus viderer, nisi Tu cum grata recordatione in mente mihi versareris. Quid? Dum plurimi juvenes literarum studiosi plures academias frequentant pluribusque in eadem disciplina utuntur magistris ac doctoribus, ego, cui vix suppeterent, quae ad studia colenda necessaria sunt, ut discenti postremo ad ludimagistri munia ascendendum esset, qui iniqua laboris mercede accepta privatim pueros instituit segnes scilicet et tardi ingenii, — ego, inquam, unam habui almam nutricem atque Te unum in antiquarum literarum studiis praeceptorem, ut, quidquid in iis Rostochii profeci, Tibi uni debeam. Nec me tanquam alumnum habuisti, sed paene amici loco. Erant Tibi discipuli me potiores, E. Burmeisterus, Th. Ladewigius, alii, cariores me nulli. Itaque aditum mihi ad interiorem Tuam cognitionem patefecisti; licuit mihi Te adire quotiescumque libuit, ut Tuo consilio uterer, ubi expertus consilii eram nec intelligebam, qua via incedendum esset, ut eo quo intendebam deducerer. Denique cum ipse mihi diffidere coepissem atque minus me ingenio valere mihi viderer, quam ut cum eo quo optandum erat fructu philologiae studia persequi possem, nec multum abesset, quin ad theologiam, quam etiam tunc leviter attigeram, totum me converterem, Tu omni qua poteras ratione meliora me docuisti, labantem benevole erexisti et amice monendo eo tandem adduxisti, ut in via semel inita progrederer. Idque saluti mihi fuit. Nam etiamsi theologiae studium

gravissimum sit atque mirifice semper animum meum allegerit, ut ne nunc quidem in tantis occupationibus plane eam deseruerim, tamen aliud est, in rerum divinarum pertractatione libere versari, aliud, ministrum esse ecclesiae: quod ad munus sustinendum minime me natum aptumque esse postmodo cognovi.

Sed quo firmiter in animo meo haeret Tuorum erga me meritum memoria, eo magis doleo, quod una in re Tibi non satisfeci. Tu mihi auctor fuisti, ut satis mature ad scribendum me conferrem: ex quo tempore saepius me hortatus es, ut aditu laudis et honoris aperto pergerem tenere viam quam instituissem. Neque tamen quod volueras ad hunc diem a me impetravisti, ut sint qui mirentur, quod ex omnibus quos Megapolitanorum terra fert praefectis scholae ego solus nullum librum ediderim, tanquam illud egregium sit, latere in obscuro nec ullam in literis sui famam colligere. At non ignoras, mi Fritzschi, quales meae in hac schola ab initio rationes fuerint, quales ea vicissitudines experta sit, quales labores subierim, ut ad eum quem nunc tenet locum adduceretur: nec Te fugit, me, cum integerrima aetate florebam, qua aetate literarum studia laetissime provenire solent, tum maxime multis et operosis, addo etiam molestis saepe negotiis distentum et distractum fuisse. Noli tamen eam habere primam causam, cur a librorum confectione abstinuerim. Potest eripi tempus ex summis occupationibus, neque is sum, apud quem vitae commoditates et oblectamenta plus valeant quam studia literarum; denique in longa annorum serie sponte nascuntur, ex quibus satis larga ad scribendum materia sine magno labore depromi possit. Hoc potius ut nihil in lucem proferrem me commovit, quod ita a natura comparatus sum, ut magis quod dubium sit perspiciam quam quod verum sit invenire possim. Video pleraque incerta esse, infirma, plena errorum, nec cuiquam facile,

quam imbecilla sit humana intelligentia tam persuasum esse potest quam mihi. Quae viri eximia eruditionis copia et summo iudicii acumine insignes docuerunt, quam cito saepe ex admiratione hominum ad nihilum reciderunt! Vetus verbum hoc quidem est, diem docere diem; at vero non semper meliora docet. Sententiae opponuntur sententiis, et ut mihi quidem videtur his nostris diebus saepe fidenter simul ac leviter; tanquam si id agendum sit in excolendis literis, ut quasi aerarium sententiarum et opinionum augeatur, non quod verum sit exploretur, non raro proferuntur, quae, quamvis acute et ingeniose demonstrata sint, tamen, si propius accesseris neque mentis oculos splendore quodam in disserendo explicationis praestringi sinas, satis neque explorata neque percepta atque cognita videbuntur. Atque esse suspicor, qui non magnopere curent, verane sint an falsa quae statuunt, dummodo admirationes ingenii sui excitent. Quorum in numerum cum referri nolim, qui veritati serviendum putem, non laudi sollertiae, aut certe, ubi verum cernere non licet, eis quae simillima veri sint, cumque tantum absit, ut alacer et fiduciae plenus valde mihimet ipsi placeam, ut meis inquisitionibus investigationibusque quam maxime diffidam, malui retinere quae commentatus sum, quam incertas res rebus incertis accumulare.

Verum ne ea quidem, quae ego oblata occasione vel potius imposita necessitate scribendi divulgavi, satis Tibi probata sunt; ac tamen Tuo jure desiderabis, ut in discipuli Tui scriptis Tuae disciplinae vestigia agnoscas, non hominem a Te quodammodo degenerem. Nonnulla adstipulatorem Te invenerunt; plura amice reprehendisti, imprimis quod in re critica exercenda nimis audacem ac paene temerarium me praebeam. Ac potest fieri, ut nimis ad suspicionem proclivis sim modumque nonnunquam excesserim; hoc tamen con-

tendo, multos in veterum scriptis locos esse ita aegros, ut sanari non queant nisi ancipites curationes adhibendo. Sophoclis quidem tragoedias, in quibus Tu cum olim tum nuperrime egregiam curam atque operam posuisti, postquam per triginta amplius annos ut potui interpretatus sum, eo tandem perveni ut multo magis corruptas judicem mendosis lectionibus et etiam ineptis interpolationibus, quam vulgo putant; quae depravationes cum haud raro ex pluribus vel multis ante cod. Laurentianum A. saeculis repetenda videantur, plane equidem sentio cum Augusto Nauckio, qui in praefatione editionis VII. Ajacis p. X. fore ut aliquo modo in pristinam formam restituantur vix sperari posse censet. Quin quae nunc circumferuntur editiones emendatae multa continent, quae, quoniam nulla iudicium sollicitat lectionis diversitas, ex bona fide pro genuinis habita sunt, modo ut recte explicentur, ac tamen, si incorrupto atque integro iudicio examinaveris, nullis interpretandi artificiis a repudiatione vindicari queant. Quo in numero est Ajacis versus 2, multum ille tentatus, quem neque Lobeckii lectionis copiam neque Wunderi subtilitatem tueri potuisse iis quae sequuntur pagellis demonstrasse mihi videor. Atque utinam sic mihi res successerit, ut Tuo assensu comprobare meam sententiam non dubites! Certe circumspectionem aliquam et accuratam considerationem non desiderabis.

Sed quorsus ego deferor! De Sophocle locutus sum, ubi gratulandum Tibi est atque optandum, ut quae per quinquaginta annos indefesso atque glorioso labore in literas, in discipulos in patriam, meritis es, bene Tibi et feliciter eveniant. Quamquam id diserte facere vix opus est; nam Tu omnium minime ignoras, quanta ego laetitia affectus sim, quod hanc festam lucem aspexisti, quae et gratam in praesens afferat animi elationem, et ad reliquam vitam vires confirmet. Itaque verbis parcam atque hoc solum precor, quoniam,

qui angustos vitae humanae fines egrediuntur, quo majorem spatii partem emensi sunt, eo magis a commercio hominum segregari solent, ut, in quibus Tu maximam vitae senilis jucunditatem agnovisti, ea Te ne unquam deserant ac potius comites Tibi itineris ac ministros se praestent fidelissimos. Vale, mi Fritzschi.

De Ajacis Sophoclei versu 2 (Ἄσι μὲν, ὦ παῖ Λαρτίου, δέδορκα σε) πεῖρᾶν τιν' ἐχθρῶν ἀρπάσαι θηρώμενον quae adhuc dictae sunt sententiae, earum nulla probari posse videtur. Atque illud levius est, quod Godofredus Hermannus ἀρπάσαι infinitivum epexegeticum esse vult: θηρώμενον πεῖρᾶν τιν' ἐχθρῶν, ἀρπάσαι, scilicet αὐτήν: quae est contorta sane constructio, cui ipsa verborum consecutio refragatur, qua eo potius deducimur, ut πεῖραν pro objecto verbi ἀρπάσαι habeamus. Difficilius dijudicatu est, πεῖρα ἐχθρῶν active an passive dicatur, hoc est utrum de insidiis hostium intelligendum sit, an de insidiis hosti ab Ulixē paratis. Illud quidem rejicit Hermannus propter additum pronomen τινά. „quia sic non de una aliqua machinatione, sed universe de eo ageretur, ut quis, quidquid molirentur hostes, vel, si quid molirentur, observaret“; atque ipse Lobeckius, qui in ἐχθρῶν genitivum subjectivum agnoscit, hoc saltem Hermanno concedendum putat, multo aptius pronomen infinitum additum videri, si nomine πεῖρα significetur id quod Ulixes machinatur, quam si, quod hostes. At si recte dici videtur Ulixes aliquod artificium, quo in hostes utatur, venari s. captare, profecto non intelligitur, cur non idem hostium aliquod artificium venari dicatur, ut ad irritum redigere possit siquidem hostes consentaneum est ubicunque vel quotiescunque res occasionem dare visa sit, insidias struere. Itaque cum πεῖρά τις ἐχθρῶν duplicem admittat interpretationem, age jam totam dicendi formam πεῖρᾶν τινά ἐχθρῶν ἀρπάσαι quid significare possit quaeramus. Atque Lobeckius, qui, ut modo dixi, ἐχθρῶν genitivum subjectivum esse statuit, eam explicari putat allato quod apud Platonem est τὰ τῶν πολέμιων κλέψαι βουλεύματα, quod ex contextu verborum apparet significare hostium consilia callide explorare penitusque introspicere, ut ipsi non sentiant, Pol. I, 334 A, quem ad locum Astius comparat Xen. Hipp. 5, 2: χρή δὲ μηχανητικὸν εἶναι... καὶ τοῦ μὴ τὰ τῶν πολέμιων μόνον κλέπτειν ἐπίστασθαι. Arr. VII. 28. καὶ οὖν καὶ ὅσα ἐν ἀφανεί πρᾶξι ζῆν μεγίστῳ θάρσει, ἔπραξεν, ὅσα τε φθάσας ὑφαρπάσαι τῶν πολέμιων, πρὶν καὶ δεῖσθαι τινα αὐτὰ ὡς ἐσόμενα, προλαβεῖν δεινότητος, ubi ὑφαρπάσαι non magno discrimine dicitur quod apud Platonem et Xenophontem κλέψαι est. Jam sic quis argumentari possit: pro κλέψαι πολέμιων βουλεύματα cum majore vi dicitur ὑφαρπάσαι, cujus in locum substituas licet simplex ἀρπάσαι; unde cum recte colligas, non abhorre a Graeci sermonis proprietate pro πολέμιων βουλεύματα κλέψαι dicere π. β. ἀρπάσαι, sequi videtur, ut etiam pro ἐχθρῶν πεῖραν κλέψαι dici queat ἐχθρῶν

πειραν ἀρπάσαι. Ac tamen residet scrupulus. Nimirum apud Platonem, Xenophontem, Arrianum κλέψαι verbum sive ὑφαρπάσαι cum iis vocibus conexum est, ut quid significet sponte pateat: idemne ut de Sophocleo loco contendi possit? πειραν ἀρπάσαι vis ut intelligatur machinationem explorare? Non facile tibi morem geram. Iam attende hanc notionum constructionem δέδορκα σε θηρώμενον ἀρπάσαι πειραν ἐχθρῶν, quod proprie est video te venantem explorationem machinationum hostium. Nonne id mire dictum videtur vel ridicule?

M. Seyffertus, qui a Lobeckio stat, ut de consiliis hostium antecapiendis cogitemus flagitat, provocans ad illos quos modo laudavi Platonis et Arriani locos, in quibus scilicet neque κλέψαι neque ὑφαρπάσαι antecapiendi vel praeripiendi notionem continet. Addit Xen. An. IV, 6, 11 πολὺ οὖν κραίτητον τοῦ ἐρήμου ὄρους καὶ κλέψαι τι πειρᾶσθαι λαθόντας καὶ ἀρπάσαι φθάσαντας, neque vidit antecapiendi notionem non in ἀρπάσαι inesse sed in φθάσαντας ἀρπάσαι. Mirabilius etiam est, quod suae explicationi opponi posse dicit, non nunc id agere Ulixem, ut quid moliantur hostes exploret: tanquam antecapere et explorare idem sit. Ceterum ipsam antecapiendi notionem ab hoc loco alienam esse ex eo intelligitur, quod Minerva dicit Ἄσει μὲν δέδορκα σε πειρᾶν τιν' ἐχθρῶν ἀρπάσαι θηρώμενον, siquidem illud ἀσει μὲν ejus modi est, ut, quod hic de Ulixē praedicatur, universe dictum esse necesse sit, neque vero de uno aliquo artificii genere. Erat Ulixes πολυμήχανος, non modo praereptor consiliorum.

Hermannus, cui ἐχθρῶν visus sit genitivus passivus, interpretatur semper te video opportunitatem, qua tentare hostem possis, captare. Quae interpretatio etsi nimis a poetae verbis recedit, tamen per se ferri posse videtur. At quaeritur, qui sequuntur versus 3—13 num genitivum passivum admittant. Id concedi non posse Wunderus ad persuadendum accommodare docuit. Postquam enim rumor de occiso grege incessit, nemo non Ajacem ejus facinoris auctorem suspicabatur (28. τὴνδ' οὖν ἐξείνω πᾶς τις αἰτίαν νέμει); speculator aliquis Ulixi nuntiaverat, vidisse se Ajacem cum cruento gladio per campum festinanter incedentem (29. καὶ μοί τις ὀπτῆρ' αὐτὸν εἰσιδὼν μόνον πηρῶντα πεδία σὺν νεορράντῳ ἕξει φράζει); Ulixes, ne quid rem ita se habere dubitationis relinqueretur, statim vestigia quae in pulvere apparebant persecutus erat, quae eum ad Ajacis tentorium deduxerant: itaque molitum aliquid hostem invenire vult, non opportunitatem quaerere, qua tentare hostem possit.

Jam illud considerandum est, quod neque Hermannus neque Lobeckius respexerunt, qua ratione sententiae se excipiant particulis ἀσει μὲν — καὶ οὖν conexae. Et Wunderus quidem interpretatur ut semper — ita nun quoque Id si probabis, sequitur, ut, quod Ulixes primis duobus versibus egisse dicitur, simile eorum esse debeat, quae versibus proxime sequentibus, id autem est, ut

utriusque enuntiati ratio ea sit, quae est inter generatim et singillatim dicta. Quo concesso, Lobeckii interpretationem si sequeris, non recte et ratione dixisse poetam apparet; nam hostes ubi sint explorare longe aliud quid est, quam quid hostes machinentur investigare. Quod opponi possit, summam utriusque enuntiati hanc esse: ut semper speculando operam das, ita nunc quoque, recte se haberet, si hoc solum dixisset Ulixes *καὶ νῦν ἐπὶ σκηραῖς σε ναυτικαῖς ἔρω Αἴαντος . . . πάλαι κωπηγετοῦντα*; at hoc potius dicit: atque nunc te video ad Ajacis tentorium recentia ejus vestigia persequentem, ut exquiras, num intus sit an foris versetur; itaque non tam id spectat Minerva quod hoc ipso temporis momento agit Ulixes, sed quo consilio Ajacis vestigiis insistat. Nimirum Ulixes nunc quidem quid machinentur hostes explorare neque vult neque potest, siquidem hostile facinus in aperto est: hoc agit, ut compertum et exploratum habeat, num Ajacis illud facinus sit. Indagare autem hostium conatus et certiozem fieri velle, num quis quod fecisse videatur re vera fecerit, omnino sententiae sunt generatim diversae; quare Lobeckii interpretatio ferri non potest.

Iam vero Wexius in progr. Suerini a. 1863. edito negat, *ἀεὶ μὲν — καὶ νῦν* significare wie immer — so auch jetzt; id esse potius *ἀεὶ τε — καὶ νῦν*; nam *μὲν — τε* esse genus annectentis generi, non subjicientis generi partem. Quare verbis *ἀεὶ μὲν — θηρώμενον* tacita cogitatione addendum esse *οὔποτε δὲ ἑταίρων*; *καὶ νῦν* autem, ut Latinorum atque nunc, esse mirantis, quod qui adhuc hostium consilia explorare solitus sit, nunc explorandi causa socii tabernaculum circumeat. At hoc est nimis postulare, primum ut *οὔποτε δὲ ἑταίρων* in verbis Minervae latere sumas, nec quisquam, credo, praeter Wexium sumsit; deinde, ut mirari deam putes Ulixem Ajacis vestigia persequentem, tanquam vel ipsa nesciverit, cujus illud facinus sit, vel, quod *πᾶς τις* suspicatus erat Ulixis sagacitatem fugere potuerit. Fraudem fecit Wexio particula *μὲν*, cujus hic non alia vis est quam in initio Philoctetae *ἀκτὴ μὲν ἦδε τῆς περιρρύτου χθονός* vel Promethei Aeschyl. *χθονός μὲν εἰς τηλουρόν ἤχομεν πέδον*. Hoc tamen recte negavit, *ἀεὶ μὲν — καὶ νῦν* idem esse quod wie immer — so auch jetzt, ut semper — ita nunc quoque, quod Graece potius est *ὥσπερ ἀεὶ — οὔτω καὶ νῦν*. Illud qui usurpat, *ἀεὶ μὲν — καὶ νῦν*, priore membro aliquid quod fieri soleat dicit, cui altero membro unum aliquid subjicit, quod ex eodem genere sit, velut Jl. I. 109 *αἰεὶ τοὶ τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι, καὶ νῦν ἐν Δαναοῖσιν θεοπροπέων ἀγορεύεις, ὡς —*; sententiarum particulis *ὥσπερ ἀεὶ — οὔτω καὶ νῦν* conjunctarum ratio haec est, ut in priore membro adhibita comparationis forma secuturum esse alterum significetur, quod unum aliquid ex eodem genere contineat. Quamquam leve id discrimen est, quoniam ad solam formam orationis pertinet: ipsam rem si spectas, nihil refert utrum dicas *ὥσπερ ἀεὶ — οὔτω καὶ νῦν* an *ἀεὶ μὲν — καὶ νῦν*.

Denique obstare videtur Lobeckio usus verbi *θηρᾶν* s. *θηρᾶσθαι*, quod de venatore dicitur, nunquam de cane venatico. Igitur comparatur Ulixes cum venatore. Quodsi *ἀρπάσαι*, ut Lobeckius vult (assentiente Forchhammero in ind. schol. acad. Christianae Albertinae 1854 p. 5.) a cane venatico translatum est, idem Ulixes et venatoris munia sustinet et canis venatici. Non crediderim. —

Ex iis quae adhuc exposuimus, effici videtur, ut verba *πεῖραν ἐχθρῶν ἀρπάσαι* neque ab Hermanno neque a Lobeckio recte explicata sint. Iam Wunderi placita excutiamus. Iste *πεῖρᾶν τινος ἀρπάσαι* pro dicendi forma habet Sophoclis propria, quae repetenda sit a vulgari *πεῖρᾶν τινος λαμβάνειν* = *πειρᾶν τινος*, ut significet tentare aliquem capere vel opprimere. *Ἀρπάζειν* autem pro *λαμβάνειν* ideo dictum a Sophocle esse, quod Ulixes non tam cum venatore quam cum cane venatico comparatur; nam *ἀρπάζειν* proprium esse canum. Hic primum fateor me non satis intelligere, quid tandem illud velit comparari non tam cum venatore quam cum cane venatico. Fac tamen satis intelligi posse: certe Wunderus Ajacem comparari cum cane venatico vult. At non canis venatici est tentare hominem capere, neque ex vestigiis Ajacis assequi studere, num intus sit an foris sit: id puto venatoris est comite, si placet, cane venatico. Deinde vide, quantum ineptiarum Sophocli injungatur, si sequi placeat Wunderum. Versu 2. Ulixes „non tam“ venator est „quam“ canis venaticus; v. 5. haud dubie venator (*δρῶ σε κύνη γε- τούνοτα*); v. 8. rursus canis venaticus, ut vulgo statuunt, (*εὖ δέ σ' ἐκφέρει κύνος Λακαίνης ὡς τις εὐρένος βᾶσις*), denique v. 37. rursus venator (*φύλαξ ἔβην τῇ σῆ πρόθυμος εἰς ἑδὸν κύνη*). Ac vel Nauckius, quod factum nolim, Schneidewinum secutus v. 8. Ulixem cum cane venatico comparari annotavit; ac tamen manifestum est, non ipsum Ulixem sed gressum ejus cum gressu canis venatici comparari.*) Deinde Wunderus, cum in promptu sit, in voce *θηρᾶσθαι* tralatam atque usitatam significationem venandi agnoscere, eam hic statuit latius patere, ut in tentandi, experiendi, conandi significationem abierit; contra *ἀρπάσαι* de eo intelligi vult, quod proprium sit canum, hoc est nare sagaci captare auras, ut ait Seneca: quae significatio profecto non in

*) Wunderus ac Nauckius in verbis *εὖ δέ σ' ἐκφέρει κύνος Λακαίνης ὡς τις εὐρένος βᾶσις* notionem *βᾶσις* his cogitari volunt; nam hanc esse verborum structuram: *εὖ σε ἐκφέρει βᾶσις, ὡς εὐρένος τις βᾶσις κύνος*. Quae interpretatio nimis mihi operosa videtur; nec quidquam in tota orationis forma indicii est, *βᾶσις* vocem semel positam bis cogitari, et ita quidem ut gressus canis Lacaenae simul significet gressus tuus. Id ne fieri quidem posse videtur. Imo Ulixis gressus dicitur *εὐρένος βᾶσις κ. Α.*; additum est *ὡς τις*, quod per similitudinem loquitur Minerva: bene te ad finem perducit quasi quidam sagax gressus canis Lacaenae.

promptu est. Nam si rectissime dicitur et ita ut quivis intelligat quod ex Polluce attulit Lobeckius οἱ κύβες ἀρπάζουσι τὰ πνεύματα, inde non sequitur, ut recte Ulixes dici possit et ita ut non nimis obscure dictum sit ἀρπάζειν πεῖραν, etiamsi concedas quod concedi nequit, eum cum cane venatico comparari.

Sed jam pressius agamus atque accuratius inquiramus in totam rationem quam iniit Wunderus, ut vim istius πεῖραν enodaret. Contendit igitur, Graecos πεῖραν λαμβάνειν τινός saepissime sic usurpasse, ut idem sit quod πειρᾶν τινος. Πειρᾶν τινος non raro significare tentare aliquem capere vel opprimere, „den Versuch machen jemanden zu fangen, zu überrumpeln“; inde effici putat, ut etiam πεῖράν τινος λαμβάνειν vel ἀρπάζειν significet einen Versuch machen jemanden zu fangen. Non recte putat. Πειρᾶν τινος dici potest, ubi accommodate dicitur πεῖραν λαμβάνειν τινός; at non recte inversa ratione hoc in illius locum substituas, nec cum licet dicere πειρᾶν χωρίου, attentare locum, licet etiam πεῖραν χωρίου λαμβάνειν; nam πεῖραν λαμβάνειν τινός patet artioribus finibus circumscriptum esse quam πειρᾶν τινος. Jam si πεῖραν διδόναι est se spectatum offerre vel specimen edere (Plat. Lach. 189. B. ἔδωκας σουτοῦ πεῖραν ἀρετῆς, ἣν χρὴ διδόναι τὸν μέλλοντα δικαίως δῶσειν), non facile tibi persuadebitur, ut πεῖράν τινος λαμβάνειν, quae dicendi forma quodammodo illi ex adverso posita sit, eam vim habere putes, quam Wunderus ei vindicare vult. Atque eodem res deducitur, ubi quid sit πεῖραν ἔχειν memineris. Sed ne videar satis mihi fecisse, si rem universe tractarim, jam exempla proponam, ex quibus quam habeat vim πεῖραν λαμβάνειν cognoscatur.

I. Ac primum quidem πεῖραν λαμβάνειν significat explorare, experiri, tentare. Plat. Protag. 348 A. αὐτοὶ ἑαυτοῖς σύνεισι δι' ἑαυτῶν, ἐν τοῖς ἑαυτῶν λόγοις πεῖραν ἀλλήλων λαμβάνοντες καὶ διδόντες. Athen. VI, 258. ex Alexide comico affert πεῖραν ἐπεθύμου θατέρου βίου λαβεῖν, ὃν πάντες εἰδύθασιν ὀνομάζειν ὑγρόν. Similiter Plut. Sert. 8. πᾶσαν ἄμα μὲν διδοὺς ἄμα δὲ λαμβάνων στρατηγικῶν παλαισμάτων πεῖραν ἀντιτεχνόμενός τε καὶ φυλαττόμενος πλεῖον εἶχε. Plut. Pyrrh. 29. ἡ ἀγαθὴ τύχη τῆς πόλεως — πεῖραν ἀρετῆς λαμβάνουσα τῶν ἀνδρῶν. Polyb. I, 75, 7. εἰς 2 βλέπων Ἀμίλκας καὶ παντὸς πράγματος καὶ καιροῦ πεῖραν λαμβάνων . . . διανοήθη τι τοιοῦτον. I, 31 fin. ὥστε πᾶν ὑπομένειν εἴλετο καὶ παντὸς ἔργου καὶ καιροῦ πεῖραν λαμβάνειν. I, 49, 8. ἔκρινε παντὸς ἔργου πεῖραν λαμβάνειν. II, 32, 5 ἔκριναν τῆς τύχης λαβεῖν πεῖραν. XXVII, 13, 15. ἔδοξεν αὐτοῖς παντὸς πεῖραν λαμβάνειν. V, 100, 10. κλεύσας αὐτοὺς πεῖραν λαμβάνειν καὶ τῶν Αἰτωλῶν. II, 11, 3. πεῖραν λαβεῖν τῶν παρὰ τοῦ Δημητρίου προσαγγελλομένων. — Herod. II, 2. init. καὶ πρῶτον ἀρέσκει προελθεῖν ἐπὶ τὸ στρατόπεδον καὶ πεῖραν τῆς γνώμης τῶν στρατιωτῶν λαβεῖν. Plat.

Theag. 129. D. πείραν ἔξεστι νυνὶ λαβεῖν τοῦ σημείου, εἰ ἄρα τι λέγει. Xen. M. I. 4, 18. ἦν μέντοι, ὡςπερ ἀνθρώπους θεραπεύων γινώσκεις τοὺς ἀντιθεραπεύειν ἐθέλοντας... οὕτω καὶ τῶν θεῶν πείραν λαμβάνης θεραπεύων, εἴ τι σοι θελήσῃσαι... συμβουλεύειν. Plat. Prot. 342. A. εἰ βούλει λαβεῖν μου πείραν ὅπως ἔχω. Aelian. V. H. XII, 22 ἐβούλετο λαβεῖν αὐτοῦ ἰσχύος πείραν. — Eurip. Fragm. 692. Nauck. κλίθῃτι καὶ πίωμεν ἐν τούτῳ δέ μου τὴν πείραν εὐθὺ λάμβαν' εἰ κρείσσω ἔσει.

II. Cognoscere aliquem vel aliquid experiundo. Eurip. fragm. 983. Nauck. φίλων λαβεῖν (γάρ) πείραν οὐ μικρὸν κακόν, quem versum ex Plut. vita Fabii 17. οὐ μόνον δ' ἦν ἄρα τὸ φίλων πείραν λαβεῖν, ὡς Εὐριπίδης φησίν, οὐ μικρὸν κακόν, ἀλλὰ καὶ τὸ φρονίμων στρατηγῶν Euripidi restituit Boissonadius. Confert Nauckius versum Philemonis com. εἴχου μὴ λαβεῖν πείραν φίλων. Polyb. XXVIII, 9, 7. σφαλεῖς πολλοὺς ἀν' ἐποίησε τῆς αὐτῆς τύχης πείραν αὐτῷ λαβεῖν. XXIX, 3, 10. πείραν λήψεται τῆς αὐτῆς ἑαυτῷ τύχης. VI, 3, 1. εἰς τάναντία μεταβολῆς... πείραν εἴληψε. IV. 87. 10. νῦν δέ ταχέως πείραν ἔλαβε τῆς σφετέρας ἀφροσύνης. Demosth. in Arist. Vol. I p. 663, 19. Reisk. ἀλλ' ὁμοῦς ὁ Κότυς ὑπ' ἐκείνου τότε σωθεῖς καὶ λαβὼν ἔργῳ τῆς ἐκείνου φιλίας πείραν... οὐχ ὅπως ἀποδώσει χάριν ἐσπούδασεν αὐτῷ. Eurip. fragm. incert. 1065. Nauck. ὦ γῆρας, οἶαν ἐλπίδ' ἴδρονῆς ἔχεις, καὶ πᾶς τις εἰς σέ βούλετ' ἀνθρώπων μολεῖν λαβὼν δὲ πείραν, μεταμέλεια λαμβάνει, ὡς οὐδὲν ἔστι χειρὸν ἐν θνητῷ γένει.

Apparebit ex his exemplis, quae sit vis dictionis πείραν λαμβάνειν τινός et quo jure Wunderus eam converterit den Versuch machen jemand zu fangen, zu überrumpeln. Itaque cum fundamenta in quibus nititur ejus interpretatio disturbata sint, ipsa quoque quam proposuit interpretationem verborum πείραν ἐχθρῶν ἀρπάσαι concidere necesse est. Simul errasse Kratzium intelligitur (vide ZfGW. 1866. p. 327.) qui πείραν τινός λαμβάνειν universe significare voluit Kenntniss, Kunde von etwas nehmen. Voluit, refragante linguae usu. Et quid futurum esset de pronomine τινός? Nihilne intererat Ulixis, quid sibi de hoste nuntiaretur? num satis habuit, si modo quid comperiret? Tanquam Ulixes fuerit „in curiositate ὀξύπεινος.“

Rejecta opinione Wunderi videndum est de Schneidewini explicatione a Nauckio accepta. Qui sic locum convertit: Immer sehe ich dich danach jagen, irgend einen listigen Anschlag gegen Feinde zu erraffen, rasch auszuführen. Itaque in θηρώμενον imaginem venatoris servavit, ἀρπάσαι autem sic intellexit, ut πείραν ἀρπάσαι non differret a πειρᾶσαι τινός, nisi quod adjuncta notio esset celeritatis. Sed offendunt verba „rasch ausführen“, quae non possunt apposita esse nisi vel explicandi vel accuratius definiendi causa. Nam erraffen et rasch ausführen notiones sunt plane diversi generis nec quidquam habent, quo altera alteram attingat. Erraffen nihil aliud significare potest nisi celeriter

arripere: id qui tandem ad notionem celeriter aliquid exsequendi pertinet? Deinde illud ipsum danach jagen etwas rasch auszuführen, ut omnino ferri possit talis notionum copulatio, molestam habet ejusdem notionis iterationem, siquidem in ipsis quoque verbis danach jagen celeritatis notio inest. Nego autem recte dici danach jagen etwas rasch auszuführen; nam qui venatur aliquid, is consequi vel suum facere aliquid studet, quod nondum in sua potestate est; qui exsequitur aliquid, is sua potestate utitur, aliquid quod mente concepit ad effectum adducendi; itaque danach jagen etwas auszuführen idem fere est ac si dicas velle aliquid consequi quod habeas. Denique celeriter aliquid peragendi notio non habet quo referatur; nam in hac quidem tragoedia Ulixes non celeriter aliquid perficiendo, sed potius prudenter, caute, circumspecte agendo insignis est, qualem esse consentaneum est qui dicit ἴσμεν γὰρ οὐδὲν τρανές, ἀλλ' ἀλώμεθα (23), et ἑρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἰδῶκ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἧ κούφην σκιάν (125.); quare ista celeritatis in perficiendo laude statim in initio tragoediae spectatores induxisset poeta, ut prorsus falsam Ulixis imaginem animo effingerent. Itaque celeritatis certe notionem, quae et ab hoc loco et ab Ulixis ingenio alienissima sit, rejicere oportet. Quid si reponas studiose? Sic melius se habet sententia: nam studium quidem in Ulixes non desiderabis. At manet pravum illud danach jagen etwas auszuführen. Quapropter retroversum cedamus: confugiamus ad Wunderum, qui θηρᾶσθαι verbum universe significare statuit experiri, „einen Versuch machen“, ut haec conformetur sententia: Immer sehe ich, wie du einen Versuch machst, einen Anschlag gegen Feinde rasch (vel si mavis eifrig) auszuführen. Ne hoc quidem placet. An tam navus erat Ulixes, ut semper si quid posset subdole inventum celeriter exsequi periclitaretur potius quam subdole inventa strenue exsequeretur? Praeterea vix probabile est, Sophoclem primo versu θηρῶμενον neglecta propria usitatissimaque significatione accipi voluisse pro πειρώμενον, qui tribus statim versibus post κινήγετοῦντα verbum posuerit a re venatica tralatum eamque translationem deinceps constanter teneat: vide 8 εὔριος βᾶσις, 20 ἰχνεύω, 32. κατ' ἴχθος ἄσσω, 37, φύλαξ ἔβην τῇ σῆ πρόθυμος κυναγία. 93. τῆςδε τῆς ἄγρας χάριν. Denique πείρα non est Anschlag, qui ejus est, qui consilia agitatur, aliquid molitur, sed potius conatus, qui ejus est, qui aliquid suscipit, ut quod vult si possit efficiat. Ac multo minus πείρα est „listiger Anschlag“. Scholiasta quidem hoc profert: Ἀεὶ ἑρῶ σε, ὦ Ὀδυσσεῦ, πείρα καὶ δόλω μετιόντα τοὺς ἐχθρούς· πείρα γὰρ ἡ βλάβη (mira sane ratio!), temere allatis ex Sophoclea Danae versibus (Nauck. 169.) οὐκ οἶδα τὴν σὴν πείραν· ἔν δ' ἐπίσταμαι, τοῦ παιδὸς ὄντος τοῦδ' ἐγὼ διόλλυμαι, quos versus Ellendtius Acrisii esse censet, qui a recens nato Perseo periculum sibi metuens neget se experimento capto certiore fieri velle, rectene an injuria metuat. Addit alius scholiasta Πείρα δὲ Ἀττικῶς δόλος καὶ τέχνη· ὄθεν καὶ πειραταί, οἱ

κατὰ θάλασσαν κακοῦργοι. Talibus verborum explicationibus quid tribuendum sit, apparet ex scholio ad Aristoph. Av. 583 τῶν προβάτων τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκοψάντων ἐπὶ πείρα, quo haec extrema verba explicantur ἐπὶ βλάβῃ, addito tamen prudenter ἢ ἵνα περιθώσιν ἡμῶν εἰ θεοὶ ἔσμεν, et ad Ajacem 290. τί τήνδ' ἄκλιτος . . . ἀφορμᾶς πείραν: cui scholio si fidem habes, πείρα vel pro πορεία, ἐδός dictum est. Nostro loco suspicor scholiastam δόλον de suo addidisse in honorem Ulixis τοῦ πολυμηγάνου. Nunquam continet haec vox notionem doli vel fraudis, nec facile intelligitur, qui fieri potuerit, ut „ἀττικῶς“ eam notionem assumeret, cum qui aliquid experitur, id et dementer et prudenter facere possit. Aeschylus ea voce bis usus est, Sept. 499. τοιοῦδε φωτὸς πείρα εὐ φυλακτέον, (quem locum Schuetzius explicat „hujus viri conatus bene observandi cavendique sunt“; sed qui quae praecedunt verba perpendit, non dubitabit, recte Passovium in lexico interpretatum esse „vor dem Versuche, dem Kampfe mit einem solchen Mann hat man sich zu hüten“) — et Pers. 720. πεζὸς ἢ ναύτης δὲ πείραν τήνδ' ἐμώρανεν τάλας; In Euripidis tragoediis semel invenitur, Heracl. 309. Nauck: ὦ παῖδες, εἰς μὲν πείραν ἤλθομεν φίλων, ter in fragmentis, et quidem cum λαμβάνειν conjunctum, quos locos supra attuli pag. 14. Sophoclei loci sunt praeter hunc de quo disputamus et fragmentum Danaes modo allatum El. 471. πικρὰν δοκῶ με πείραν τήνδε τολμήσειν (ich werde dies Unternehmen wagen mit dem wahrscheinlichen Erfolge, dass es bitter für mich ausschlägt). Trach. 591. τὸ μὲν δοκεῖν ἔνεστι, πείρα δ' οὐ προσομίλησά πω. Aj. 290. τί τήνδ' ἄκλιτος . . . ἀφορμᾶς πείραν; 470. πείρά τις ζητητέα. 1057. καὶ μὴ θεῶν τις τήνδε πείραν ἔσβησεν: in quibus omnibus locis cum ne vestigium quidem illius significationis appareat, quo tandem jure hic te eam deprehendisse dicas? Ac ne quid callide praeteriisse videar, quod non e re mea sit, veniat in medium Passovii ratio, qua vim vocabuli πείρα interpretatur. Is cum dicit, πείραν significare etiam „Versuch, Einem listiger Weise zu schaden, List, Betrug“, affert ex Aeliani Nat. Anim. πείραν καθιέναι, quae, uti videtur, propria est ejus scriptoris dicendi forma, quam Kuehnus etiam Var. Hist. II, 13 restituit: ἐκ τούτων οὖν ἐβουλήθησαν πείραν καθεῖναι (vulgo καταθεῖναι) ὑπὲρ τῆς κατ' αὐτοῦ διαβολῆς, quamque Perizonius e sermone nautarum repetit, „qui mare explorant demittendo plumbum et funiculum“ (καταπειρατηρίαν καθιέναι). Id si recte se habet, jam per se non probabile videbitur, Aelianum πείραν καθιέναι ea qua voluit Passovius significatione usurpasse. Ac non usurpavit. Narrat Aelianus I. 57., Psyllorum gentem tutam esse a morsu colubri cerastae. Namque Psyllo alicui in suspicionem venisse liberum ex uxore susceptum, tanquam adulterino sanguine natus esset; itaque experimentum fecisse (πέϊραν καθεῖναι) conjecto puero in dolium cerastis repletum; qui cum malum ei minitarentur, simulatque puer eos attigisset, statim mansuefactos esse; inde Psyllum agnovisse

filium legitimum. — Altero loco (V. 54.) panthera narratur appetens carnis simiarum; mortuum se simulat; simiae in arbore consistentes, cum suspiciosae in eum sint, priusquam descendant, experimentum faciunt (πειραν καθίασι): unam ex ipsis quam audaciorem putant, praemittunt ad examinandum pantherae affectum. — Apparet ex his quoque locis, πειραν = List, Betrug, esse in commentis lexicographicis. Fac tamen, significare posse eam vocem quod Schneidewinus voluit: num Ajacis tragoediae ratio patitur, ut Ulixes tanquam insidiarum machinator inducatur? Num cujus in Ajace partes sunt Ulixes δόλιος est, cui πάντα λεκτά πάντα δὲ τολμητά ἐστι, ut in Philocteta? num quidquam peragit, in quo vel insidias vel dolum vel artificium agnoscas? Quodsi concedes potius, hunc Ulixem esse hominem probissimum et integerrimum, in quem neque simulatio neque dissimulatio neque ullum genus doli atque fraudis cadat, illud quoque tibi concedendum erit, parum verisimile esse, eum in initio fabulae talem spectatoribus videri posse, qualis in ipsa fabula non est.

Cum igitur Schneidewini quoque explicatio plures habeat dubitationes, nihil relinqui videtur, nisi ut πειραν ἐχθρῶν ἀρπάσαι interpreteris hostium conatus quasi abripere, ut sit pro strenue infringere. Atque comparato isto quod ex Platone attulit Lobeckius τὰ τῶν πολεμίων κλέψαι βουλεύματα non prae fracte negaverim, eam vim in his verbis inesse posse; sed obstat inepta notionum copulatio θηρᾶσθαι ἀρπάσαι; nam qui venatur, capere vult, neque infringere; praeterea infringendi notio ad verba καὶ νῦν ἐπὶ σκηναῖς σε ναυτικαῖς ἐρῶ κ. τ. εἰ. non magis accommodata sunt quam Lobeckii interpretatio.

Jam quae adhuc disputavimus unum in locum cogamus.

1) θηρᾶσθαι πειραν ἐχθρῶν ἀρπάσαι non significare potest hostium conatum explorare vel infringere.

2) πειρα non significat neque consilium, Anschlag, neque callidum consilium.

3) πειραν τινος ἀρπάσαι non repeti potest a dicendi forma πειραν λαμβάνειν τινός.

4) θηρᾶσθαι ἀρπάσαι πειραν τινος ejusmodi est verborum conglutinatio, ex qua commoda sententia elici nequeat.

Quid ergo? Quae interpretandi ars habet praesidia, iis abunde usi sumus nec quidquam profecimus. Nam Blydes quoque, ceteroquin de Ajace optime meritis, nihil attulit, quo hujus loci difficultates expendantur; verba Sophoclis sic interpretatur: quaerere aliquam occasionem contra hostes vestros arripere (seeking to seize some opportunity against your enemies), atque in explicatione singularum vocum acquiescit in iis, quae prava esse demonstrasse mihi videor. Nec quidquam prosit, superiorum interpretum conatus repetere, qui partim ἀρπάσαι sic accipiunt, ut sit intellectu arripere, celeriter vel illico in-

telligere (qua in explicatione ambigi posse dicunt, „utrum dicat Minerva: video te venari ut intelligas, an vero: video te venando intelligere”). partim hanc proponunt verborum consecutionem: *πειραν θηρώμενον τινά ἐχθρῶν ἀρπάσαι* „ad quendam hostium capiendum”: ex quibus hoc tantum fructus percipitur, ut appareat, quorsus quis deferri possit, qui explicare velit, quae nequeunt explicari.

Quae cum ita sint, haud dubie data nobis est copia ad conjecturam confugiendi. Et primus quidem, quod ego sciam, hic aliquid vitii latere suspicatus est Hennebergerus (Progr. gymn. Meining. 1829 p. 15.) Sed is in errorem incidit eo, quod verbum *ἀρπάσαι* in suspicionem vocavit in ejusque locum substitui voluit *πειράσαι*, formam apud Atticos scriptores inauditam. Debebat potius voci *πειραν* diffidere, quam difficiles habere explicatus vidimus. Jam si attenderis, pleraque in oratione Minervae a re venatica esse assumpta, facile eo adduceres, ut in *πειραν* latere vocem conjicias ipsam quoque a re venatica translata. Quid si Sophocles scripsit *ἄγραν*? Est ea vox apud tragicos satis usitata. Vide Eur. Hec. τὰς αἰχμαλώτους εἶπας, Ἑλλήνων ἄγραν. Alc. 850. ἦν δ' οὖν ἀμάρτω τῆσδ' ἄγρας (h. e. θανάτου). Bacch. 434. πάρεσμεν τῆνδ' ἄγραν ἡγρευκότες (h. e. Dionysium). Aesch. Sept. 303. Herm. δορὸς ἄγραν. In nostra fabula 93. καὶ σε παγχρύσις ἐγὼ στέψω λαφύροις τῆσδε τῆς ἄγρας χάριν verba sunt Ajacis, qui cum Ulixem egregiam praedam abstulisse sibi videtur, ipse potius quasi in praedam Minervae cessit. Pro vulgato *ἄγραν* ἐλεῖν (Xen. Cyr. 13, 13 ἐὰν γὰρ μὴ πόνους . . . ὑπερβάλλωνται, οὐκ ἂν ἐλοιεν ἄγρας) vel λαβεῖν (Eur. Bacch. 1196 ματέρ' . . . λαβοῦσαν ἄγραν) Sophocles scripsisse putandus est quod et fortius esset et navitati Ulixis convenientius, *ἀρπάσαι*: immer habe ich dich danach jagen gesehen irgend einen Feindesfang zu erraffen. Sic locus videri potest suae integritati restitutus esse. —

Ante hos tres annos cum in his verbis enucleandis desudarem neque invenirem quod mihi satisfaceret (nam etiamtum nulla animum subiit depravationis suspicio), accidit mihi identidem ea verba submissa voce recitanti, ut denique fortuito syllabas transponendo pro *θηρώμενον πειράν τιν'* pronuntiarem *πειρώμενον θήραν τιν'*. Atque ἐγέλασα; nam statim mihi in mentem venit illius hominis, qui cum dicere vellet Ich heisse Scholz, longe aliud quid prolocutus est, et ejusmodi quidem, ut de se praedicaret, quod fidem humanam excedit. Neque amplius ea de re cogitavi. Nunc video non mihi subridendum fuisse; nam quod mihi imprudenti excidit, conjectura est C. Lugebili, laudata a Nauckio in ed. VII. Ajacis. Qui quibus rationibus vel quo casu ad eam conjecturam adductus sit nescio; hoc vero dubitationem affert, quod *θηρώμενον* attrectavit, in quo ne minima quidem suspicionis causa apparet: imo quivis intelligit, quam bene inter se concinant *ἀεὶ δέδορκά σε θηρώμενον*

et νῦν ἔρω σε κυνηγετοῦντα. Deinde scrupulum injicit θήραν ἀρπάσαι; nam id poetice dictum esse pro θήραν ποιῆσθαι vel ἔχειν (Aj. 564. δυσμενῶν θήραν ἔχων), ut de ipsa venandi actione intelligatur, nemo sibi persuadebit. Itaque relinquitur, ut θήρα idem sit quod ἄγρα, praeda venando capta (videsis Phil. 1146. ὦ πιταναί θήραι, quod schol. explicat ἀντὶ τοῦ ἄγραι; ibid. 609, ubi Helenus insidiis captus dicitur θήρα καλή.) Jam facile in cogitationem cadit, pro ἄγραν λαβεῖν vel ἐλεῖν dicere licuisse poetae ἄγραν ἀρπάσαι; sed per consuetudinem sermonis licuisse etiam θήραν ἀρπάσαι dicere tum demum pro certo affirmaverim, cum quis docuerit, Graecos non solum ἄγραν sed etiam θήραν λαβεῖν vel ἐλεῖν dixisse: nam nisi ex hoc fonte θήραν ἀρπάσαι derivari posse videtur. Sed hoc leve est ac fortasse nimiae cautionis; illud gravius, quod ipsa sententia habet, quo displiceat. Nimirum non in conando Ulixis virtutem spectare debuit Minerva, sed in cupide arripienda quacunque occasione hostem capiendi. —

Unum addo. Δέδορκα interpretantur video. Sed licebit id pro perfecto habere, ut orationis membra recte composita videantur; nam καὶ νῦν ἔρω quasi secludit quod adest quodque praesens est ab eo, quod ad id tempus fuit; itaque sejungendum erat Minervae quod nunc ipsum animadvertat ab iis quae ad id usque tempus animadverterit: quod non fit, si δέδορκα pro praesenti habes. Quis tandem dixerit αἰεὶ μὲν ἔρω . . . καὶ νῦν ἔρω, ut semper video, ita nunc video? — At δέδορκα praesentis vim habet. At hunc quidem locum vides perfecti vim exhibere. Adde Trach. 747. αὐτὸς βαρσίαν ξυμφορὰν ἐν ὄμμασιν πατρὸς δεδορκῶς καὶ κατὰ γλώσσαν κλύων: suis oculis Hyllus patris calamitatem vidit, non videt. Compara Eur. Or. 385. ὦ θεοί, τί λεύσσω; τίνα δέδορκα νερτέρων; Insulsiatam injungas poetae interpretando quid video? quem ex inferis video? Est potius quid video? quem conspexi? Herc. fur. 562. οὐ ρίψετ' Αἴδου τάσδε περιβολὰς κόμης καὶ φῶς ἀναβλέψετε τοῦ κάτω σκότου φίλας ἀμοιβὰς ὄμμασιν δεδορκότες; quibus verbis si sententiam spectas, hoc dicit Hercules: abjicite istas vestes ferales, postquam me ex inferis rediisse vidistis. Sunt certe apud Euripidem, qui saepe hoc perfecto utitur, loci, in quibus δέδορκα pro praesenti vel est vel haberi potest; sed in plerisque nihil obstat, quominus propriam perfecti vim agnoscas, ut sit vel conspexi vel vidi. Med. 118 καὶ δὴ δέδορκα τόνδε τῶν Ἰάσονος στείχοντ' ὄπαδῶν, quae sunt verba Medae, quae procul appropinquantem nuntium conspexit. Plane eadem ratio est Andr. 545. καὶ μὴν δέδορκα τόνδε Πηλέα πέλας. Troad. 707. τίν' αὖ δέδορκα τόνδ' . . . ἄγγελον; El. 339. καὶ μὴν δέδορκα τόνδε, σὸν λέγω πόντιν. Etiam Aeschyleum illud κτύπον δέδορκα (Sept. 99. Hm.) nulla causa est cur non interpreteris percepi. Sed sunt his nostris diebus, qui in perfecta graeci sermonis quasi quoddam capitale odium concepisse videantur, ut evellere et extrahere ea penitus conentur. Veluti Duen-

tzerus non patitur, ut II. VI, 125. Glaucus longe antecessisse dicatur, ut solent apud Homerum egregii bellatores (τίς δὲ σὺ ἐσσι φέριστε καταθνητῶν ἀνθρώπων; οὐ μὲν γάρ ποτ' ὄπωπα μάχῃ ἔνι κυδιανείρῃ τὸ πρίν· ἀτὰρ μὲν νῦν γε πολὺ προβέβηκας ἀπάντων), sed sic jubet explicari: gehst voran, übertriffst! Aveo scire, quid de ὄπωπα, quod proxime praecedit, statuendum censeat. An ex hoc quoque perfecto praesentis vim extricare placebit? Equidem suum cuique concedas suadeam.



